

1) eis Iursaccum [a], de carcere eduxerunt, filio suo, ut justissimum erat, coronam imperii tradentes. Receptis itaque [b] ab omnibus pro imperatore juramentis fidelitatis et omnibus ad transfretandum rite paratis, Græci diabolico instinctu inflammati et invidiæ stimulis agitati, imperatorem cui noviter juraverant et ejus patrem miserabiliter occiderunt (90), levantes alium imperatorem Marzucum [c] nomine. Quod ut Latini audiverunt, vix tamen credentes, sese tantum scelus vindicaturos juramenti astrinxerunt vinculo. Sane civitatem præfatam, post multa et varia [d] prælia, voluntate illius qui non vult scelestas diu regnare, præliando ceperunt, ultra xxx millia [e] Græcorum in ore gladii perimendo, et novum imperatorem de turri altissima præcipitando [91]. Sopito denique furore et ira Latinorum, dominum Bernardum Flandriensem [f] comitem, ad imperii apicem sublimarunt; qui recepto plenarie dominio, de suorum sapientum consilio, Venetis maximum locum in civitatibus et aliis locis concedere non dubitavit. Bonifacio quoque marchioni de Monteferato (92) totum regnum Salonicensium tradidit; singulis præterea majoribus possessiones longas et amplas privilegiis munivit. Culmen nempe honoris [g], coelitus sibi concessum, non sibi sed Domino totum attribuit. Domino insuper papæ Innocentio tertio per Templarios et alios honorabiles legatos scripsit; se suumque regnum sibi [h], tamquam Christi in terra vicario, supponens per omnia. Qua quidem legatione Romanus praesul animo recepta lætissimo, in pleno consistorio [i] ait: Quantascunque [j], fratres, gratiarum actiones valemus [k], ei exolvamus qui conditor temporum [l], provida dispensatione tempora distribuit universa, qui populum Græcorum nostris temporibus [m] ad unitatem fidei nobis copulavit Latinis, ut sit amodo omnibus unum ovile et unus pastor. Græci namque huc usque Sanctæ Romanæ Ecclesiæ non, sicut decuit, in omnibus obedientes, nequaquam credebant Spiritum Sanctum sic procedere a Filio, quemadmodum procedit a Patre; quod est inconveniens et absurdum. Credent autem in proximo [n], sicut credimus et speramus. Credent utique [o] et convertentur [p] ex his reliquiæ [q], et venient in Sion quærentes Dominum et David regem suum et adorabunt in altari erectum Romæ [r] in titulum sempiternum [s]; et ex tunc Dominus erit [t] cum eis. Post hæc autem, omnibus audientibus, fecit dominus Papa literas legi imperatoris, in quibus continebatur, præfatum imperatorem ad honorem Dei et Sanctæ Romanæ Ecclesiæ sexcentos xxxv [u] acquisivisse archiepiscopatus et episcopatus. Procedente vero tempore parvo, ad postulationem quorundam clericorum Græcorum

cf. Innoc. III
epist. VII, 154

[quod]

C)

neg. - Cave,
Klin. in. g.
pant.

Credent - his
Klin. ab. r.
B. in. Credent
in. Dominus q.
pant.

[a] Iursaccum. Sic iterum Codd. Corrige Isaacium. — [b] Receptis itaque. Sic legendum. Codd., habent recepto, itaque; sed male. — [c] Marzucum, et Marzuccum, Codd. Alii scribunt: Marzulphum, alii Murtauphum aut Martulphum, sive Myrtillum. — [d] post multa et varia. Sic Cl. Mitt. In C. V., per multa et varia. — [e] ultra xxx millia, C. M.; ultra triginta millia, C. V. — [f] Flandriensem. Sic lego Fradinensem, habent Codd. — [g] Culmen nempe honoris. Sic lego, cum Cl. Mitt.; culmen nempe honor et; sic Codd. — [h] regnum sibi. Sic Codd. Corrige: regnum illi. — [i] consistorio, C. V. — [j] Quantascunque Fratres. Sic C. M.; quantas quoque, C. V. — [k] actiones valemus, C. M.; in C. V. deest, valemus. — [l] conditor temporum, C. V.; conditor temporum, C. M. — [m] nostris temporibus. Sic legit cl. Mitt.; nostris imperatoribus, C. V. — [n] Credent autem in proximo. Sic legendum puto. In Codd., credunt autem in proximo. — [o] Credent utique. Sic lego. Codd., credunt utique. — [p] et convertentur, C. M. In C. V., et convertuntur. — [q] ex iis reliquiæ. Sic C. M.; ex eis reliquiæ, C. V.: an reliqui legendum? — [r] erectum Romæ. Sic lego. In C. M., notula est roe, quam C. V. vertit: ratione. — [s] in titulum sempiternum. Sic Codd.; sed Cl. Mitt. habet, in vitulum sempiternum. — [t] Dominus erit, C. V.; Domini erit, C. M. — [u] sexcentos xxxv. Sic C. M., sexcentos triginta quinque, C. V.